

## De Catulli carmine LXII.

### Particula I.

C. Valerii Catulli Veronensis carmen LXII nuptiale illud lepidissimum quamquam multorum saepe hominum doctorum egregia ac paeclara opera excussum est commentariosque elicit paene plures quam ipsum complectitur versus, tamen quid statuendum sit cum de aliis rebus tum imprimis de compositionis arte ac ratione et de Catulli imitatione Graecorum poëtarum, adeo non constat, ut singulorum sententias inter se dissidentes vel enumerare difficile sit. Quare haud alienum videtur ex iis, quae de illis duabus quaestionibus ab aliis disputata sunt, eligere maximie probabilia iisque examinatis quae mihi ipsi videantur paucis exponere.

Ac primum quidem totum carmen in Germanicum vertatur:

### Hochzeitslied.

#### *Jüngling.*

1. Da ist das Abendgestirn! Auf, Jünglinge! Von dem Olymp her  
Hebet es endlich empor die lange erwarteten Strahlen.  
Lasset das üppige Mahl! Es ist Zeit! Steht auf von den Tischen!  
Bald wird kommen die Braut, und das Hochzeitslied wird erschallen.

#### *Chor der Jünglinge.*

5. Hymen, o Hymenäus, o Hymen, komm, Hymenäus!

#### *Jungfrau.*

Seht ihr, Mädchen, die Jünglinge dort? Erhebet auch ihr euch!  
Sicherlich zeigte sein Licht der Verkünder der Nacht schon am Öta. —  
Ja, so ist es; denn seht, wie hurtig vom Sitze sie sprangen!  
Sprangen nicht auf ohne Grund. Sie werden uns Wettgesang bieten.

#### *Chor der Jungfrauen.*

10. Hymen, o Hymenäus, o Hymen, komm, Hymenäus!

*Jüngling.*

- Nicht ist es leicht, ihr Genossen, für uns zu erringen die Palme.  
 Schaut, wie die Mädchen für sich ihr ersonnenes Lied überdenken;  
 Schwerlich vergebens prüfen sie nun. Was sie haben, ist preiswert.  
 Wundert euch nicht! Sie mühen sich ja mit ganzem Gemüte.
15. Unsre Gedanken sind hier und anderswo unsere Ohren.  
 Recht ist es, wenn wir erliegen. Der Sieg heischt Streben. Wohlan denn!  
 Richtet auf euren Gesang jetzt wenigstens eure Gedanken!  
 Gleich wird beginnen ihr Lied, gleich gilt's, den Gesang zu erwidern.

*Chor der Jünglinge.*

Hymen, o Hymenäus, o Hymen, komm, Hymenäus!

*Jungfrauen.*

20. Hesperus, blinkt grausamer als du ein Gestirn an dem Himmel?  
 Der du das Töchterlein kannst aus den Armen der Mutter entreissen,  
 Kannst es, so sehr es sich sträubt, entreissen den Armen der Mutter,  
 Und dem verlangenden Mann zueignen das züchtige Mäglein.  
 Thun in eroberter Stadt was Schlimmeres grausame Feinde?
25. Hymen, o Hymenäus, o Hymen, komm, Hymenäus!

*Jünglinge.*

- Hesperus, leuchtet erwünschter als du ein Gestirn an dem Himmel?  
 Du, des Schimmer das Band der versprochenen Ehe bekräftigt,  
 Welches die Männer beschlossen zuvor und die Eltern beschlossen,  
 Doch nicht zum Ziele gebracht, eh' du hellstrahlend dich zeigtest.
30. Können die Götter Ersehnt'res verleih'n als die glückliche Stunde?  
 Hymen, o Hymenäus, o Hymen, komm, Hymenäus!

*Jungfrauen.*

Hesperus, wehe! entrüs uns eine Gespielin, ihr Schwestern.

(35.)

(Hymen, o Hymenäus, o Hymen, komm, Hymenäus!)

*Jünglinge.*

(40.)

33. Denn sobald du erscheinst, wacht stets der nächtliche Hüter.  
 Wohl birgt Diebe die Nacht, doch kehrst mit verändertem Namen,  
 35. Hesper, du wieder zurück, greifst oft du sie selbst als Eous.  
 (45.) Aber den Mädchen beliebt's, dich zu schmäh'n mit erdichteter Klage.  
 Doch was thut's, wenn sie schmäh'n, wonach sich im Stillen ihr Herz sehnt?  
 Hymen, o Hymenäus, o Hymen, komm, Hymenäus!

*Jungfrauen.*

- Wie ein Blümlein verborgen erwächst im umfriedeten Garten,  
 40. Nicht gekannt von dem Vieh, nicht aufgewühlt von der Pflugschar,  
 (50.) Sanft umkost es die Luft, Licht kräftigt und Regen erzieht es,

— — — — —  
 Viele der Knaben sich sehnen nach ihm und viele der Mägdelein;  
 Aber ist es verblüht, von zartem Finger gebrochen,  
 Keiner der Knaben mehr sehnt sich nach ihm und keines der Mägdelein:  
 45. (55.) So ist die Jungfrau, nimmer berührt, eine Freude der Ihnen;  
 Hat sie entweicht ihren Leib und die Blüte der Keuschheit verloren,  
 Bleibt sie nicht länger den Jünglingen lieb noch teuer den Mägdelein.  
 Hymen, o Hymenäus, o Hymen, komm, Hymenäus!

*Jünglinge.*

- Wie auf baumloser Flur eine Rebe, die einsam erblühet,  
 50. (60.) Nie sich vom Boden erhebt, nie großzieht liebliche Trauben,  
 Sondern den schwächlichen Leib mit senkender Schwere herabneigt  
 Und den Schößling schon bald mit ihrer Wurzel berühret:  
 Keiner der Pflüger beachtet sie da und keiner der Stiere;  
 Hat sich dieselbe jedoch einer Ulme gesellet als Gattin,  
 55. (65.) Viele der Pflüger beachten sie da und viele der Stiere:  
 Also die Jungfrau, nimmer berührt, wird alt unbeachtet;  
 Wenn für die Ehe gereift einen passenden Mann sie gewonnen,  
 Ist dem Vater sie minder zur Last und lieber dem Gatten.  
 (Hymen, o Hymenäus, o Hymen, komm, Hymenäus!)

*Jüngling.*

- (70.) Doch du sträube dich nicht einem solchen Gemahle, o Jungfrau!  
 60. Unrecht wäre das Strüben: ihm gab dich dein eigener Vater,  
 Und mit dem Vater die Mutter, du musst ihnen beiden gehorchen.  
 — — — — —  
 Dir ausschliesslich gehört nicht dein Kranz, auch den Eltern gehört er,  
 (75.) Deinem Vater das eine, das andere Drittel der Mutter,  
 Nur ein Drittel ist dein: drum hadere nicht mit den zweien,  
 65. Die ihre Rechte zugleich mit der Mitgift gaben dem Eidam.

*Chor der Jünglinge.*

Hymen, o Hymenäus, o Hymen, komm, Hymenäus! —

Iam appareat, et quas partes iuvenibus quasque virginibus tribui velim, et quibus locis singuli aut plures versus excidisse mihi videantur. In distribuendis autem singulis partibus Alberto Fuerstio mutatis admodum paucis rebus accessi, cuius sententiam ad verum proxime accedere mihi persuasum est. Magna enim est varietas et discrepantia iudiciorum de huius carminis compositione et responsione, quam diversitatem homo ille litteratus (p. 12 sq.) sub uno quasi conspectu composuit. Post quem de distributione et responsione accuratius disputaverunt A. Boninius et F. Hermes, quorum uterque imprimis de lacunae post versum alterum et tricesimum statuendae ambitu perperam iudicasse mihi videtur. Nuperrime denique totum carmen singulari industria tractavit H. Weberus; novam autem distributionem quam proposuit — descriptis cam p. 93 sq. — maxime eam ob causam laudare nequeo, quod ad illam sustinendam saepius verba bene tradita commutari necesse est, deinde quod ea quae separari nequeunt non raro disiunguntur. Sed de singulis rebus mox videbimus, hic quoniam Weberus nobis nunc occurrit posteaque saepissime occurret, quid in universum de eius commentatione dicemus, breviter exponamus.

In quem quae Quintilianus (*inst. or. X* 1,98) de Ovidii Medea existimavit, mea quidem sententia referri possunt: quaestiones eius Catullanae videntur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo imperare quam indulgere maluisset. Multa enim quae in eo libro disputavit sunt ingenii acris et exquisitae doctrinae, multa auctoritate optimorum codicum posthabita ita tractavit, ut longe alia carminis ratio evadat. Quod si quis illud mihi opprobrio vertendum esse existimet quod hoc de viro tam eximio gravius indicem, idem fere H. Magnus vir perfecte planeque eruditus multumque versatus in Catullianis carminibus sensit (cfr. Berlin. philol. Wochenschr. X 49 p. 1561 sq.).

Sed fuisse hoc carmen ad certam quandam stropharum rationem compositum primus Naekius vidit (*opusc. I* 102 sq.), cuius verba haec sunt: *Est hoc carmen amoebaum, hac lege, ut nulla carminis pars sit, quin respondentem sibi habeat aliam partem eodem versuum numero; singulae partes, uno loco excepto (i. e. post v. 58) versu terminabantur intercalari . . . . Sunt autem concertationis tres strophae cum sua quaque antistropha (vv. 20—58) . . . . praeceunt semper puellae, respondent iuvenes.* Cuius sententiam in universum omnes homines docti secuti sunt, sed de singulis rebus valde inter se dissentient.

Si quaerimus unde fieri potuerit, ut omnes fere homines docti de hoc carmine constituendo diverse indicarent, causam in eo esse, quod carmen corruptissime nobis traditum est, inveniemus. Erat enim, ut K. P. Schulzius docet, archetypus eorum librorum, qui nunc in apographis nobis suppetunt, iam multis mendis infectus (v. Baehrens. edit. prolegg. p. 73). Sunt autem quattuor potissimum loci, de quibus homines docti in contrarias partes discedunt: primum de versus quarti decimi integritate, deinde de lacunae post versum tricesimum alterum statuendae spatio, tum de versu intercalari post versum duodesagesimum ponendo, postremo de ratione quae exstet inter strophas carminis tertiam ultimamque et ceteras.

Iam his de rebus, quae ad singulas partes in iustum aequabilitatis formam redigendas magni sunt momenti, ea quae vera aut veri simillima esse videantur, breviter

exponamus. Atque ut via et ratione progrediamur, initium disputandi sumemus a carminis media parte, quae versibus 20—58 continetur, tum ea quae reliqua sunt perlustrabimus.

Ac primum concertationem ipsam e tribus stropharum paribus constitisse cum Naekio plurimi homines docti optimo iure consentiunt. Prima pars per duodecim intercalaribus annumeratis versus continuatur, quorum primi sex puellis, reliqui pueris tribuendi sunt. A versu 32 alterum stropharum par incipit, cuius septem tantum versus in codicibus nostris exstant. Hunc autem locum integrum esse praeter J. Vossium omnia recte se habere perperam putantem (cfr. edit. sec. Lugduni Batav. 1691 p. 152) nemo doctus sibi persuasit, omnes cum Hieron. Avantio (v. emendat. p. 934 ed. paris. a. 1604) nonnulla excidisse perspexerunt, sed de versuum amissorum numero et ordine alius aliter iudicavit. Plerique post v. 32 lacunam statuendam esse recte collegerunt coniectura, ante hunc autem versum itidem factam esse iacturam incerto versum numero, sed hand sane parvam, Luciano Muellero (cfr. praef. edit. p. XXIII) vix quisquam cesserit; nec magis Webero crediderim tres versus antecessisse, duos cum ephymnio subsecutos esse, cuius sententiam ne sequamur versu ipso: „Hesperus e nobis, aequalis, absulit unam“ impedimur, quem ille ut coniecturam suam confirmaret optimis codicibus neglectis prave commutavit in „Hesperus e nobis aequalem si abstulit unam“. Si non plures at certe duos hexametros ante v. 32 intercidisse Ziwsa (l. l. p. 286) denique non bene suspicatus est. Evidem iis assentior, qui versum 32 primum esse strophae puellarum, versus vero 33—38 antistrophae puerorum tribuendos esse censem, neque eos laudare possum, qui cum Vossio, Doeringio, aliis versus 32—35 virginibus, iuvenibus versus 36—38 adscribunt; nec Rossbachium versus 32 et 33 puellis, 34—38 pueris attribuentem verum vidisse appetat, cum in vv. 33 et 34, si recte interpretamur, potius Hesperi laus insit quam vituperatio et insequentes cum versu 33 aptius se coniungant. Deinde manifestum est vv. 32—38 reliquias alterius stropharum paris esse neque epodi instar duabus proximis submissos, ut Richtero (cfr. Rhein. Mus. 1864 p. 363) falso placuit, qui praeterea hos versus cum duobus, quos perisse censem, puellis inepte attribuit. Sed quot versus inter v. 32 et 33 intercepti sunt? Naekius de harum stropharum spatio omni iudicio caute abstinnit, Lachmannus autem paginas duas h. e. 60 versus excidisse statuit. Huius hominis doctissimi sententiam, quam omnes fere nunc improbant (cfr. L. Muelleri praef. p. VII—IX), denuo Boninius (p. 11 sq.) tueri conatus est 61 versus amissos esse totumque carmen illis adsumptis 130 versuum vel sedecim stropharum fuisse censens. M. Hauptius (opusc. I 34 sq.) autem unam tantum paginam h. e. triginta versus excidisse suspicatus est, postea vero re diligentius perpensa G. Hermannum (cfr. annal. Jahn. XXII 309) secutus est paucos tantum versus intercidisse recte statuentem, cum propter membrorum aequabilitatem credibile non sit Hesperi vituperationem et laudationem per maiorem versuum numerum continuatam esse. Idem fere L. Muellerus sensit. Itaque nullum paene nascitur ex cognitione paginarum in archetypo lucrum partitionis (cfr. P. Boehmii quaest. Catull. diss. Bonn. 1862 p. 21). Propius ad veritatem accedere videntur ii qui post v. 32 finem modo strophae et antistrophae initium perisse censem. Atque his strophis Leutschius denos, Pleitnerus novenos, Frankius Usenerum secutus, Ziwsa, Baehrensius septenos hexametros assigna-

verunt. Septenos versus Webers quoque utrius adscribit, sed ita ut versum 32 quartum esse stropheae putet. Rossbachius utramque stropham senorum versuum facit, puellarum enim quartum versum esse „Namque tuo...“, sextum intercalarem, et pueris primum tantum versum deesse statuit. Peiperus denique priori stropheae 4 versus, alteri 4 + i h. e. addito epiphonemate attribuit et Hermes lacunam septendecim versibus explore conatus est, quos ita distribuit:

$$1 [+ 4i] : [5i], [5i] : 5i.$$

Harum sententiarum quae vera sit diiudicari nullo modo potest, maxima autem probabilitas mihi quidem videtur iis favere qui, ut Riesius, Ellisius, Fuerstius, astipulati Froehlichio (cfr. nunt. erudit. Monacen. XI fasc. 136 et 137 a. 1840) in utraque strophe octonus versus ponunt, ut versus 32 initium stropheae sit, versus autem 33 tertium in antistropha obtineat locum. Aperte enim primis versibus et antecedentis et subsequentis stropharum paris — compares velim v. 20: „Hespere, quis caelo fertur curdelier ignis?“ cum v. 26: „Hespere, quis caelo lucet iucundior ignis?“ et v. 39: „Ut flos in saeptis secretus nascitur hortis“ cum v. 49: „Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo“ — docemur hanc antistropham ab eodem nominativo „Hesperus“, non a vocativo „Hespere“, ac stropham (cfr. v. 32: „Hesperus e nobis, aequalis, abstulit unam“) initium cepisse; deinde Riesius (cfr. nov. annal. philol. et. paedag. XCI p. 302) rectissime affirmavit non unum, sed duos antistrophae versus amissos esse, quorum alter a tertia persona ad secundam versus 33: „Namque tuo adventu . . .“ paraverit transitum prorsus necesse est.

Itaque octo versus complexam esse antistropham eundemque numerum aequabilitatis causa in strophe esse ponendum omni probabilitate confirmatur. Ac primus versus stropheae est versus alter et tricesimus, ultimus ephymnum illud „Hymen, o Hymenae...“, reliquorum sensus facile ex integris antistrophae hexametris enucleari potest, quibus omnibus iuvenes Hesperum laudare et a furti crimine defendere appetet. Itaque carminis amoebae ratione et lege postulatur, ut puellae eum vituperaverint atque accusaverint, quod esset fur sive raptor (cfr. M. Hauptii opusc. I 35\*). Sed quomodo lacuna post v. 32 orta sit vix ulla probabilitate potest confirmari. Fortasse duo primi versus utriusque stropheae a voce Hesperi initium ceperant, ut librarius a puellarum versu primo (v. 32) iam exarato ad initiales versus antistrophae ei simillimos aberraret; quos cum modo descripsisse se putaret, tertium antistrophae versum et sequentes falso post primum versum stropheae posuit. Sed utut haec res se habet, ex rationibus supra allatis prorsus intellegi posse alterum stropharum par octonorum versum fuisse mihi persuasi.

Veniamus ad stropham (a v. 39—48) concertationis tertiam eiusque antistropham (a v. 49—58), quarum illa habet decem versus intercalari annumerato, haec eundem numerum sine epiphonemate, quod nullo in codice invenitur. Sed post v. 58 intercalarem versum, quem iam Muretus suo arbitrio inseruerat, deesse non posse pro certo affirmavit G. Hermannus, cum in libris excepta hac sola antistropha omnes carminis stropheae et antistrophae terminarentur epiphonemate. Cuius ad sententiam praeter Riesium et Ellisium omnes recentiores homines docti accesserunt optimo iure, neque enim ullam veritatis speciem habet poëtam hoc loco, quo concertatio finita est, ab accurata totius carminis responsione et aequabilitate recessisse. Addito autem hoc epiphonemate undecim versus antistrophae sunt, decem stropheae, quare ut utramque versum

numero parem redderent intellegentes existimatores unius versus lacunam aut post v. 40 aut post v. 41 statuerunt. Cognoverat autem argutissime G. Hermannus (cfr. Ribbeckium in nov. annal. philol. et paedag. LXXV (a. 1857) p. 75 sq.) ad sensus integritatem in comparatione virginis cum flore inita unum desiderari versum, in quo floris color et dulcedo pingerentur, quibus maxime delectarentur hominum animi. Quam sententiam omnes fere homines docti rectissime amplexati sunt. Hunc autem versum, qui errore aliquo librarii archetypi interceptus videtur esse, inter versus 41 et 42 inseri velim, quod, ut Fuerstius recte animadvertisit, versu hic collocato neque ulla mutatione neque transpositione opus est. Qua de re postea videbimus. Sensum autem versus amissi hexameter, quem C. Pleitnerus (des Qu. Valerius Catullus Hochzeitsgesänge. Dillingen 1858 p. 73 sq.) excogitavit, non male exprimere videtur: „jam iam se expandit suavisque exspirat odores“. Conferas quoque Froehlichii versum: „laetus se extollit, laetus exspirat odores“.

Concertatione virginum iuvenumque ad iustum et numerorum et sententiarum aequabilitatem redacta ad reliquias carminis partes illustrandas pergamus. Iam primum nemo dubitat, quin trium stropharum, quae concertationem praecedunt, duae priores quinorum versuum (1—5, 6—10) accurate inter se respondeant et prooemii vice fungantur, de ratione autem quae cantui, qui versibus 11—19 continetur, cum reliquis intercedat, magna est hominum doctissimorum dissensio. Nam cum, ut Naekius (l. l. p. 103) recte existimavit, prorsus incredibile sit ullum sine ordine et responsione relictum a poëta locum esse eo in carmine, cuius longe maximam partem artificiosa stropharum videmus excellere compositione, Baehrensius (in comment. p. 334) inconsiderate contendit hanc stropham priori parti i. e. versibus 1—5 et 6—10 respondere, Hartungius, Leutschinus, Riesius, Ribbeckius (cfr. Gesch. d. röm. Dicht. I p. 327), alii versus 11—19 ad antecedentes versus (1—10) epodi loco accedere, sicut concertationem altera subsequatur epodus (i. e. versus 59—66), paulo melius censem. Nullam probabilitatis speciem prae se fert L. Muelleri sententia, qui post v. 31 novem versus interlapsos esse respondentes versibus 11—19 statuit; nec minus perverse Richterius hos novem versus (11—19) concordasse et versibus 32—38 cum duobus interceptis et versibus 59—66 cum uno amissio censuit. Peiperus pravissime versus 32—38 cum duobus interlapsis respondisse versibus 11—19 sensit; similiter olim Hauptius versum 32 et proximos octo, qui post hunc interciderint, respondisse tertiae carminis strophae iudicaverat, postea iure G. Hermanni sententiam secutus est, qui homo doctissimus praeeunte Naekio graviter versus 59—66 cum unius versus lacuna antistropham esse strophae versuum 11—19 contendit, ut stropha, qua insequenti certamini proludatur, proodi quasi locum teneat, antistropha autem, quae concertationem concludit, epodi instar sit, utramque si non sententiis at tamen versum numero parem esse. Naekius autem et qui cum secuti sunt, Froehlichius, Frankius, alii hanc proodum et epodum octonos versus comprehendiisse arbitrati sunt; reiecerant enim versum quartum decimum: „Nec mirum penitus quae tota mente laborant“, quem Thuani libro soli debemus. Sed hic versus iam a Ios. Scaligero obelo fixus cum neque bono sensu careat neque abundet, sed aptissimus sit, ab omnibus nunc in textum rectissime restitutus est. Quo recepto cum Hauptio, Pleitnero, aliis in ultima stropha unum versum intercidisse statuendum est, ut et strophae

et antistrophae novem versus sint. Sed cum quod ad sententiam attinet nihil desideretur, dubium esse potest, quo loco versus amissus inserendus sit. Ac Pleitnerus et in initio et in fine epiphonematis loco versum posuit; ante v. 59 versum excidisse statuunt Boninius et Weberus, post v. 59 cum Rossbachio Schwabius lacunae signa posuit, Hauptius post v. 65 vacuum reliquit spatium. Peiperus denique et Ellisius versui 61 eum versum subnecti volunt, atque hanc sententiam ceteris probabilitate praestare rectissime iudicavit Fuerstius. Cognovit enim Ellisius (in edit. p. 262 et 107) in his versibus illud affectasse Catullum videri, ut ex vocabulis quae in unoquoque versu sunt, unum aliquod in proximo repeteretur. Sic „pugna pugnare“ (59, 60), pater pater (60, 61), parte pars (62, 63), tertia tertia<sup>a</sup> (63, 64). Et hoc in (62)—(65) fecisse ter, non fecisse in quarto; unde priorem *περικοπήν* quattuor versus comprehendisse sub iisdem legibus credibile esse. Quare Rossbachii conjectura paulum habet probabilitatis, quod lacuna inter versus 59 et 60 statuta omnis repetitionis figura totusque color anaphorae tolluntur.

Itaque haec distributio — in qua „i“ littera valet „iuvenes“, „v“ littera significat „virgines“ — totius carminis verisimillima esse mihi videtur:

Promoemium: 5 i + 5 v,

Proodus: 9 i,

Concertationis strophae:  $\alpha$  6 v + 6 i,  $\beta$  8 v + 8 i,  $\gamma$  11 v + 11 i,

Epodus: 9 i.

Haec sunt quae de huius carminis amoebaei responsione et partitione maximam probabilitatis speciem prae se ferunt. Nam quid verum sit, minime, ut iam supra diximus, diiudicari potest; levioris autem momenti sunt eorum sententiae, qui cum Baehrensio non ex tribus partibus certamen constituisse dicunt, sed ex quattuor lacunam post v. 58 statuentes, qua hausti sint versus respondentes versibus 59 sq., quibus virgines novum maritum allocutae adhortataeque sint eodem modo, quo adulescentes in fine verba sua dirigant ad novam nuptam. Quod ut concedam nullo modo animum inducere possum, quia inter versus 58 et 59 nihil praeter epiphonema desideratur. Neque assentior Pleitnero audacissime, ut solet, duas quinorum versuum strophas fini carminis adiicient, ut sint et sex strophae circumcludentes et sex circumclusae. Deinde non est credibile ultimam stropham respondisse ei, cuius versus 33—38 reliqui sunt, id quod L. Muellerus (praef. p. XXIV) vult olimque Hauptius voluerat. Tum non concedam singulas partes, quae versibus intercalaribus terminantur, dividi debere, ut Rossbachio placet, qui epiphonemata ad eurythmiam carminis nihil conferre, sed extra strophas collocata esse opinatus ibique tantum cantata, ubi hemichoria virginum et iuvenum se exciperent, reliquos versus in strophas et quaternorum et quinorum versuum divisit.<sup>1)</sup> Simillimo modo Peiperus et Hermes carmen in strophas, quas falso dicunt, redigere conati sunt.<sup>2)</sup>

Redacto carmine ad instam acquabilitatis rationem iam nonnulla de scaena et actione praedicam, quibus de rebus cum omnia alii ad nuptias Romanas alii ad Graecas sive Lesbias spectare sibi persuaserint, homines docti non satis consentiunt. Evidem aliorum ne longus sim sententiis omissis, rem ita se habere censeo.

<sup>1)</sup> Cfr. praef. edit. (a. 1863) p. 13 et „de re metr. Gr.“ III 27 sq.

<sup>2)</sup> Cfr. quae H. Magnus rectissime de Peiperi sententia disputavit in nov. ann. philol. 113, 6 p. 406 sq. (a. 1876).

Virgines et iuvenes, aequales sodalesque sponsi et sponsae aut saltem sponsi, in novi mariti aedibus, non ante aedes per caespitem diffusi, ut cum Bachrensi vult Weberus (neque enim de novae nuptae domo paterna omnino cogitari potest), tabulis inter se disiuncti (cfr. vv. 6 et 7) accubant et largis dapibus praebitis indulgent novum coniugum par exspectantes, quod ex more sollemniter excepturi sunt carmine nuptiali. Stella vespertina apparente, quacum simul nova nupta ex paterna domo recessura erat (cfr. c. 61, 119 sq.) unus ex adulescentibus — fortasse chori dux sive coryphaeus — celeriter surgit sociosque ut a cena surgant carmenque suum parent versibus 1—4 admonet, atque omnes iuvenes ephymnum (v. 5) cantant. Neque enim si quis ephymnia et ab iuvenibus et ab virginibus decantari contendat, is quomodo confirmare possit eam opinionem, inveniat; mea sententia ab iis solis cantantur, quibus vel e quibus uni versus antecedentes tribuendi sunt, neque enim, ut versum quintum exempli causa ponam, puellas, quippe quae, ut postea accuratius videbimus, adulescentis loquentis verba non audiverint, hoc ephymnum una cum pueris cantasse credibile est. Sed virgines, quae iuvenes subito surgentes viderunt, ab una ipsae quoque consurgere iubentur (v. 6—9), omnesque versum intercalarem canunt (v. 10). Iuvenis ille, qui antea dixerat, ubi surgentes puellas et plurimum operae studiique collocantes in carmine suo praeparando vidit, aequales hortatur, ut ipsi quoque ad id animum intendant; puerique decantant ephymnum (v. 11—19).

Exigua intercapedine canendi facta, in qua novum coniugum par advenisse domumque intrasse fingendum est, „hymenaeus sive carmen amoebaeum incipit, in quo tribus stropharum paribus duo chori contrarios inter se cantus tamquam litigantes committunt, ut in eo, quocunque queri vel incusare puellae cooperunt, pari et omnibus partibus illi cantui ex aequo opposita oratione laudare vel redaguere iuvenes sibi proposuerint. Quae litigationes ad vesperum, ad noctem, ad castum puellae florem spectant“ (v. 20—58).

Tum in fine carminis non omnes iuvenes, sed ut aequabilitatis causa mihi quidem videtur, unus ille qui concertationi proluserat, novam nuptam de virginitate marito debita admonet (v. 59—65), atque omnes adulescentes ephymnum cantant (v. 66).

Sunt qui cum Lachmanno ultimam carminis stropham puellis, aut cum L. Muellero et puellis et pueris tribuant. Sed valde errant hi homines docti: primum enim per se non verisimile est virgines novam nuptam adhortari, ut virginitatem suam marito tradat, deinde cantus versuum 39—48 aperte docet virgines mutata sententia versus 59 sq. cantare non posse (cfr. M. Hauptium op. I p. 36\*). Maxime autem incredibile est vel ut recte dicatur ineptum poëtam ipsum epilogo addito suis verbis uti, id quod Riesius (in editione sua) opinatus est, imprimis quia consilium suum, quod in distribuendis actionis partibus persecutus est, ipse violenter perturbaret. Denique Weperi sententia, quam iam supra memorari, vix digna est quae proferatur. Quis enim concedat singulas partes, quae versibus terminantur intercalaribus, sine maxima violentia inter iuvenes et virgines distribui posse? Videmusne, ut saepissime ad distributionem suam comprobandum auctoritatem optimorum codicum neglegere cogatur? (cfr. vv. 11, 32, 59, alios).

Reliquum est, ut de huius carminis genere et nomine paucis disputem. Ac primum monendum est Romanos Graecorum more hymenaeos, qui in deductione novae nuptiae decantabantur, vulgo discrevisse ab epithalamiis, quae ante thalamum nova

nupta iam in eum deducta caneabantur. Saepius autem has voces tam promiscue adhibitas esse, ut omnia in nuptiis decantata carmina aut hymenaei aut epithalamia nominarentur, recte affirmaverunt Hartungius (Philolog. III 238 sq.) et Paulius (Real-Encyklop. s. v. epithalamium). Itaque cum nullum exstet vestigium, unde appareat iuvenum et virginum chorūm sponsam sponsi domum comitatum esse aut ante thalamum sponsis in eum iam ingressis cantasse, huic carmini vel nomen hymenaeum vel epithalamium imponere licet. Sed cum Quintilianus (inst. or. IX 3, 16) versum quendam ex hoc carmine laudans „Catullus in epithalamio“ dixerit et cum, quamquam id quidem minoris est momenti (cfr. Ellis, prolegg. p. 47), codex Thuaneus inscriptionem ferat „epithalamium Catulli“, Oxoniensis in intervallo inter c. LXI et LXII facto: „Explicit epithalamium“ praebeat, ego in carminis significatione eligenda partibus Quintiliani accedo.

Veniamus ad alteram nostrae quaestiuclae partem, qua quid de Catulli imitatione Graecorum poëtarum statuendum sit breviter examinabimus. Ac primum quidem Catullum, ut priorum arti poëticae rudi atque horridae splendidiorem conciliaret ornatum atque elegantiam, ad studia Graecorum poëtarum, quippe qui omni fere poësis genere excellerent, se contulisse satis certum est et exploratum. Neque solum Alexandrinos maxime que Callimachum, qui optimo iure omnium eius aetatis instar poëtarum iudicatur, verum etiam antiquiores Graecorum poëtas imprimis Sappho, decimam Musam quam vocant, sequendos sibi proposuit. Quorum vestigiis plerumque prospere ingressus est atque ita ut suam servaret naturam proprietatemque. Quanto autem studio Sappho poëtriam amplexus sit, cum ex eo colligi potest, quod puellam suam, Clodium illam quadrantariam, ficto nomine Lesbiae potissimum adornavit et puellam Caecilii amici sui, ut summis laudibus eam efferret, Sapphica Musa doctiorem appellavit (c. 35, 16 sq.), tum eo comprobatur, quod suavissimum illud carmen Sapphus (od. 2) fere ad verbum et eodem metro expressit (c. 51). Primum denique eum stropham Sapphicam in Latinam poësin transtulisse et metrum Asclepiadeum maius Sappho auctore in c. 30 usurpare satis constat.

Neque deerant, qui Catullum, cum hoc epithalamium componeret, Sapphus exemplar quoddam habuisse ante oculos censerent, id quod primus suspicatus est I. Vossius, qui (in edit. a. 1591 p. 189) haec adnotavit: Epithalamium de Hespero, quin ex Sapphone redditum sit, minime est dubitandum. Quam sententiam homines docti ita secuti sunt, ut alii hoc carmen Sapphici alicuius hymenaei exemplum Latino sermone esse optima fide redditum contenderent, alii Catullum huius carminis formam solam et argumentum a Sappho mutuatum esse statuerent.

Sed quatenus hoc epithalamium ad Graecum aliquod exemplar referatur, ut accurius cognoscamus, iam singula perlustrabimus.

Ac primum Sapphus epithalamiorum peculiarem librum fuisse Servius testatur ad Verg. georg. I 31 haec adnotans: generum vero pro marito positum multi accipiunt iuxta Sappho, quae in libro, qui incribitur: Επιθαλάμια, ait:

χαῖρε, νύφα,  
χαῖρε, τίμε γάμος, πόλλα

ἅντι τοῦ νύφας. Horum vero epithalamiorum tenues admodum reliquiae nobis servata sunt, quas Th. Bergius (l. l. p. 119 sq.) collegit, cuius liber in fragmentis laudatis

inspiciatur. Atque ex his fragmentis haud pauca idem aut saltem simile argumentum praebent ac nonnulli versus Catulli. Rectissime B. Schmidius (proleg. p. LXXIV sq.) comparavit fr. 95:

Φέσπερε, πάντα φέρων, ὅσα φαίνολις ἐσκέδασ' αὖως,  
· · · φέρεις ἄπνι ματέρι παιδα,

cum iis strophis Catullianis, quae in Hespero aut laudando aut vituperando versantur (vv. 20 sq.), atque Hesperus a Sappho *ἀστέρων πάντων δὲ κάλλιστος* appellatus est, ut Bergkius fr. 133 testatur; quocum fragmento conferri potest v. 26: „Hespere, quis caelo lucet incundior ignis?“ Apteque componit illa quae vv. 27 sq. et 61 sq. dicuntur cum verbis, *δώσομαι, ἥσι πάτηρ* (fr. 97). Quibus locis Fuerstio auctore addi potest fr. 109:

- A. Παρθενία, παρθενία, ποῖ με λίποιο' ἀποίγῃ;
- B. Οὐκέτι ἥσω πρὸς σέ, οὐκέτι ἥσω,

ad quod Catulli ultimae strophae versus 60 sq. et 65 pertinere videntur. Componas quoque fr. 102 *ἥρ' ἔτι παρθενίας ἐπιβάλλομαι* cum versibus 46 sq.

Quae fragmenta omnia Catullus minime ad verbum expressit, sed quin ea imitatus sit dubitari non potest. Imitationem quoque suavissimae illae imagines et comparationes e flore et vite petitiae videntur redolere, quibus Catullus in hoc carmine utitur (vv. 39 sqq. et 49 sqq.).<sup>1)</sup>

Videas fr. 93:

Οἶον τὸ γλυκύμαλον ἐρεύθεται ἄκρῳ ἐπ' ὕσδω  
ἄκρον ἐπ' ἄκροτάτῳ· λελάθοντο δὲ μαλοδόπηρες,  
οὐ μὰν ἐκλελάθοντ', ἀλλ' οὐκ ἐδύναντ' ἐπίζεοθαι,

et fr. 94:

Οἴαν τὰν ὑάκινθον ἐν οὐραῖσι ποίμενες ἄνδρες  
πόσσοι καταστέβοιστ, χάμαι δὲ ἐπιπορφύρει ἄνθος.

Hos duos versus ab iuvenibus cantatos esse suo iure Boninius (l. l. p. 5) spicatus est. Sed valde errat I. Suessius (l. l. p. 41), qui iis verbis Riesii coniecturam „bululci“ pro tradito „iuvenci“ confirmari (vide vv. 53 et 55) inconsulte ac temere censet.

Praeterea figura repetitionis sive anaphora ex Sappho (cfr. Demetr. de elocut. c. 141: *χαρεντίζεται δέ ποτε (ἥ Σαπτόν)* καὶ *εξ ἀναρροᾶς ὡς ἐπὶ τοῦ Εσπέρου* [= fr. 95]) videtur fluxisse Leutschio aliis. Compares praecipue fr. 93, 103, 104, 109, alia et Catulli versus 8 et 9; 12 et 13; 21 et 22; 28; 59, 60, 61; 62, 63, 64, alios.

Sed haec figura Sapphus non propria fuit, invenitur quoque in Theocriti epithalamio Helenae (id. 18, 49—53), nec dubitaverim, quin iam a Stesichoro, quem scholiasta auctore secutus est Theocritus, adhibita sit. Potissimum autem a Callimacho usurpata est ut in hym. 1, 33; 3, 255; 4, 118, alibi. Deinde ad Graecam originem revocanda sunt haec: verbum pugnandi cum dativo coniunctum (v. 64); usus ille perfecti temporis, qui in vv. 42 et 44, 53 et 55 exstat; vocabula „Eous“ et „Oetaeus“; verba graviter iterata „iam iam“, alia.

<sup>1)</sup> Cfr. O. Muelleri hist. litt. Graec. I p. 323 sq.

Sed redeamus ad Sapphus imitationem. Lesbiae illius poëtriae exemplo Catullus Veneris stellam ab Olympi et Oetae iugis orientem fecit, ut Schmidtius scite observavit: quod Catullus, inquit, Hesperum a iuvenibus virginibusque super Olympo et Oeta montibus conspici finxit, hoc eum ut hominem Romanum non facturum fuisse arbitramur, nisi idem apud Sappho repperisset. Neque alienum esse ab usitato Sapphicæ poësis more Vesperi ortum ad loca aliquo modo celebria referre, velut ad Olympum et ad Oetam Weberus (l. l. p. 86 sq.) aptissime comprobavit. Dubium autem esse potest, utrum Catullus id quod in vv. 34 sq. („. . . . quos idem saepe revertens, Hespere, mutato comprehendis nomine Eous“) de Hespere eodemque Eoo scriptum videmus novarit an iam apud Sappho commemoratum invenerit. Nam, si Schmidtum audire volumus, etsi disceptabatur a veteribus, quis primus animadvertisset dixissetve Hesperum et Luciferum éundem esse, nemo tamen neque Sappho neque quemquam hac antiquorem eius rei auctorem laudavit, sed aut Pythagoram aut Parmenidem aut Ibycum nominant. Sed cum, ut Wilamowitz (in Hermae XVIII p. 417) confirmat, iam priscis temporibus Hesperum et Eoum idem esse sidus cognitum Graeci habuerint, nihil impedit, quominus idem iam Sappho novisse et dixisse sed ut rem minus perulgatam putemus, neque incredibile est Sappho in illa grammaticorum quaestione casu omissam esse. Sunt qui cum Leutschio hos versus ex recordatione loci Callimachi fluxisse sibi persuaserint, apud quem haec iuueniuntur (Hecales fr. 52):

‘*Ηνίκα μὲν γὰρ ταῦτα φαίνεται ἀνθρώποισιν,  
ἀντοὶ μὲν φιλέοντα, ἀντοὶ δέ τε περφίζασιν.*

‘*Εσπέριον φιλέονται, ἀτὰρ στηγέονται Ἐῶν,*

quae verba Bentleius de novis maritis intellegit, contra O. Schneiderus (in: „Callimachea“ II p. 203) iis hominum doctorum de aequalium operibus iudicium fluctuans et semper mutabile significari existimat. Sed quo modo cunque intelligenda sunt, certe is qui veri similius dicit Catullum memorem fuisse huius loci Callimachei quam similiūm versuum Sapphus fortuito perditorum non facile poterit refelli. Vix autem crediderim etiam Meleagri epigramma hoc imitatum esse Catullum, quod Boninius ex anthol. Pal. V 172 affert:

‘*Ορθρε, τί μοι, δυσέραστε, ταχὺς περὶ κοῖτον ἐπέστης,  
ἄρτι φίλας Αἴγαος χρωτὶ χλιαυμένω;  
εἴτε πάλιν στρέψας ταχινὸν δόμουρ Ἔσπερος εἴης;  
ῳ γλυκὺν φῶς βάλλων εἰς ἔμε πικρότατον.  
ἡδη γὰρ καὶ πρόσθεν ἐπ’ Ἀλκμήνην Διὸς ἡλίθες  
ἀντίος οὐκ ἀδαής ἐσοι παλινδομίης.*

Neque laudare possum Koechlium, qui (l. l. p. 198) Sapphus fragmenta in comparationem auxiliumque vocans ad explendam lacunam post v. 32 statutam hos versus suo arbitrio fecit:

32. „Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam.“  
*Hespere, cuncta aufers, nisi quae custodia servat.*  
 (sequuntur Catulli vv. 39—35 et)  
*Hymen, o Hymenae, Hymen . . . .*

## Juvenes.

,Hesperus e nobis, iuvenes, sponsam attulit uni.  
Hespere, cuncta adfers, quae surgens abstulit Eos:  
Namque adfers matri puerum nuptaeque maritum';  
(sequuntur vv. 36—38).

Hae nugae sunt; praeterea haec versuum traditorum distributio falsa est atque sententia versuum, quos Koechlius composuit, ab eius loci conexu, qualem supra enucleavimus, plane abhorret.

In eosdem fere errores deductus est Hartungius (l. l. p. 239 sq.) haec disserens: Die Mädchen haben mit dem Namen Φέοπτερος und Ἔως oder Ἐῷος gespielt, als käme der erstere Name von φέρειν „rauben“, der andere von ἐᾶν „lassen“ (der Diebe) her. Die Jünglinge stimmen in die Ableitung ein, schieben aber andere Bedeutungen unter, φέρειν „wiederbringen, sammeln“, ἐᾶν „entlassen, zerstreuen“. Itaque iuvenes haec cantasse apud Sappho:

Φέοπτερε, πάντα φέρεις, ὅσα φαίνολις ἐσκέδασ' Αἴως,  
— ν φέρεις ὅν, αἴγα φέρεις καὶ ματέρι παιδα

atque hos versus a Catullo expressos esse fere ad verbum suspicatus est. Quam sententiam perversam esse vel eo appareat, quod, ut optime Weberus admonuit, certissimum est sicut in prima stropha hic quoque de Hespero tantum queri puellas nihilque de Eoo addidisse. Quem soli iuvenes commemorant, sed ita ut ab Hesperi significatione profecti tamquam aliquid novi addant, eundem mutato tantum nomine esse Eoum. Deinde fr. 95, cuius alterum versum Bergkius sic exhibet:

φέρεις οἶν, φέρεις αἴγα, φέρεις ἄπν ματέρι παιδα in comparationem omnino non posse vocari iam G. Hermannus recte animadvertis (opusc. VI p. 134).

Comparationem denique illam virginis cum vite factam (vv. 49 sq.) Weberus unus poëtriae Lesbiae indolem et colorem prae se ferre contendit. Sed iis quae ad sententiam suam comprobandum argutissime profect (l. l. p. 67 sq.) vix quisquam adduci poterit, ut eum recte iudicasse existimet. Iam Leutschius, cui Fuerstius assentitur, imaginem e vite „ulmo coniuncta marita“ (v. 54) petitam non posse ex Sappho translatam esse admonuit, quod vites natura caduae in Lesbo insula non alligarentur ad arbores sudesve, sed ut hedera quasi viduae multiplici lapsu serpent humi, id quod Longus (in: „ποτιμεύτα κατὰ Δάφνην καὶ Χλόην“ lib. II 1) testetur. Cui accedit Varro, qui (r. r. I 8, 5 ed. Keil.) vineae genus hoc nominat, „in quo terra cubilia praebet uvis, ut in Asia multis locis“. Conferri quoque possunt ea quae Hehnius (l. l. p. 66 sq. et 469) hac de re probe diputavit. Neque vero id quidem quod Leutschius negavit omnino in Lesbo insula vites applicatas fuisse arboribus verum esse, iam eo confirmatur, quod Sappho ipsa, ut Hehnius indicavit, vocem ἐμαράζνθες (v. fr. 150) usurpavit. Sed optimo iure commemoravit Schmidtius eam quae in nudo arvo nascitur vitem a Lesbia poëtria dici non potuisse numquam mitem uvam educare aut a nullis agricolis et iuvencis coli. Inde patere mihi videtur Catullum hoc loco illum morem Lesbiis Asiaeque incolis solitum in contrarium mutavisse potiusque Italicae vitium culturam reddidisse (cfr. ad vv. 49 et 54). Nec vero crediderim Catullum imaginem illam vitis ad ulmum applicatae ex poësi

Alexandrina petivisse, unde Boninius originem eius repetendam esse opinatur. Nam quamquam illi imagini quaedam similitudo est cum hac, quam Simonides (Anthol. Pal. VII 24) effinxit:

Ἡμερί, πανθέλκτειρα, μεθυτρόφε, μῆτερ ὄπώρας,  
οὐλῆς ἡ σοκολιὸν πλέγμα φύεις Ἐλικος,  
Τηῖον ἥβήσειας Ἀνασχείοντος ἐπ' ἄκρῃ  
στήλῃ καὶ λεπτῷ etc.,

ubi homo ille doctus πλέγματι intellegi amantium complexum vult; aut cum hoc epigrammate Antipatris Sidonii (*ibid.* IX 231):

Ἄρην με πλατάνιστον ἐφερούζοντα καλύπτει  
ἄμπελος διθνείη δὲ ἀμφιτέθηλα κόμη,  
ἡ ποὺν ἔμοις θαλέθονσιν ἐνιθρέψασ' ὀροδάμνοις  
βότρωνας, ἡ ταύτης οὐκ ἀπετηλοτέρη.  
τούτην μέντοι ἔπειτα τεθρείσθω τις ἑταίρη,  
ἥτις ἀμείψασθαι καὶ νέκνη οἰδε μόνη,

quo de loco ille haec iudicat: Platane und Weinstock stehen hier ganz im Verhältnis eines liebenden Paares, gerade so wie bei Catull die Ulme und die Rebe, tamen tantum abest, ut hos locos Catullum imitatum esse putem, ut aliquam Sapphus imaginem in simili argumento versantem immutasse et ad suum usum convertisse mihi persuasum sit. Neque dubito, quin Leutschus argumentum versus 57 „cum par conubium etc.“ sine ulla causa ex Callimachi epigr. I 16 τὴν πατὰ σαντὸν ἔλα repetiverit.

Restat, ut nonnulla de Baehrensii sententia addam, qui huius carminis permultas res Romanas institutiones praesertim iuris privati referre opinatus est. Itaque „desponsa connubia“ (v. 27) Romana intellegit „sponsalia“, a quibus ipsis (ad v. 28) subtilius distinguit „pactum“, quod illa primitus praecedere solebat; deinde in v. 32 „abstulit“, quod interpretatur „rapuit“, ad rapinam fictam novae nuptiae Romanis antiquitus usitatam falso refert, neque enim ullum eius moris vestigium in responsione iuvenum exstat, quod, ut iam Weberus (p. 55) suspicatus est, exstaret, si quid eiusmodi a puellis significatum fuisset; tum „tradendi“ verbum (v. 60) ad coëmptionem Romanam spectare censem, qua in manus mariti deditur puella a genitore, sed ipse concedit „tradere“ etiam interdum simpliciter valere „nuptam conlocare“, ut Tac. ann. IV 40 et 75; postremo in v. 65 de dote tantum Romana cogitat, quamquam nihil impedit, quominus Graecorum προτίκα et φερνήν intellegamus; itemque ceteris vocabulis nequaquam Romani tantum mores designantur. Prorsus eadem res item ad Graecorum consuetudinem pertinent, ac pauca, quae de scaena et caeremoniis nuptiarum ex carmine ipso depromere possumus, Graecis cum Romanis communia sunt; id unum Graecorum esse proprium videtur Fuerstio, quod puellae cenae nuptiali intersunt. Eadem fere de Ellisi interpretatione illorum verborum dicenda sunt.

Reliquum est, ut paucis disseramus, unde Catullus formam externam et compositionem huius epithalamii mutuatus sit, quae res non minus momenti ad eius originem coarguendam afferunt. Ac primum ad Sapphus exemplum in hoc carmine versus hexametros dactylicos a Catullo adhibitos esse animo libenti concedi potest. Quo metro

scripta sunt fragmenta 92—95 et 97. Catulli autem versuum numeros maturioris artis signa prae se ferre amplius comprobavit Boninius (l. l. p. 13—16). Deinde totum epithalamium legibus carminis amoebaei adstrinxit versus disponens in strophas similiter ac Sappho; cum vero talia binorum versuum systemata, qualia haec adamavit, adhibuisse Webero non possumus concedere, quia, ut iam supra vidimus, Catulli versus talem dispositionem binariam minime admittunt.

Ephymnum denique illud:

„Hymen, o Hymenae...“ ex carmine Lesbiae poëtriae fluxisse perbene ex fr. 91 colligere licet.

Sed Sapphus epithalamia aut saltem eorum partem carmina amoebaea fuisse argutissime comprobavit Weberus.<sup>1)</sup>

Ac primum fr. 98:

Θυρώσω πόδες ἐπειοργύνιοι,  
Τὰ δὲ σάμφαλα πεμπεβόησα,  
Πίσυγγοι δὲ δέκ' ἐξεπόνασαν,

quod ad maledicta et convicia spectat, quibus petulanter increpabant puellae thalami custodem, non posse recte intellegi probe iudicavit Schmidtius, nisi in carmine, ex quo hi versus delibati sunt, chorum puellarum cum puerorum choro certavisse sumeremus. Talia autem carmina magis apta esse ad recitationem quam ad cantum Demetrius (*περὶ ἔρου*. c. 167) animadvertisit. Atque ita cantata esse Webero videntur, ut puellae alia aliam singulis versibus excepint. Deinde inter duos cantantes vel singulos vel choros diversarum partium distributi videntur fuisse versus fr. 91, cuius leges metricas descripsit H. Usenerus in libro, qui ,altgriech. Versbau‘ inscribitur, p. 97:

- a. "Υψι δὴ τὸ μέλαθρον 'Υμήναον
- b. 'Αέρετε τέκτονες ἄνδρες 'Υμήναον
- a. Γάμφρος ἔρχεται ἵσος 'Αρενι ('Υμήναον)
- b. 'Ανδρες μεγάλω πόλν μείζων ('Υμήναον).

(Litterulae ,a et b‘ appositae cantantes significant.)

Idem certamen inter duos commissum Weberus invenisse sibi visus est in fr. 93, quod iam supra (p. 13) transcripsi. Tribus enim servatis versibus quartum aliquem ex Longo, qui (pastor. III 33) hunc locum respicit, argute addit, atque hos quattuor versus inter duos distribuit. Sed haec incerta sunt, nec satis diiudicari possunt. Idem cadit in fragmentum 101:

'Ο μὲν γὰρ κάλος, ὥσσον ἴδην, πέλεται (ἀγαθος),  
'Ο δὲ κάγαθος αὐτικα καὶ κάλος ἔσσεται,

cuius versus duobus tribuendos esse existimat. Schmidtio denique colloquium illud inter sponsam et virginitatem institutum in fr. 109 (v. supra p. 13) demonstrare videtur omnino maxime actuosa fuisse Sapphus epithalamia.

<sup>1)</sup> l. l. p. 83 sqq. Comparanda quoque sunt ea quae hac de re scite disseruerunt: Rossbachius et Westphalius in libro, qui est de re metr. Graec. vol. III p. 27, Bernhardius in hist. litt. Gr. II 1 p. 644.

Ac profecto Catulli sermones illos tamquam litigantium contrarios manifestam prae se ferre imitationem Sapphus videmus, sed quis tandem in hac tanta reliquiarum exilitate dijudicare conetur, utrum Catullus admirabilem dispositionem illam versuum fabulae instar quodam modo in actus digestorum, quae altero nullo exemplo cognita est, ipse invenerit an a Sapphico exemplari transtulerit? Nec vero eum ad Sapphus exemplum virgines, non iuvenes concertationis ipsius initium sumentes fecisse prorsus negaverim.

Iam quod ad totius carminis consilium attinet, praeter Pleitnerum hoc epithalamium cum superiore (c. LXI) coniunctim scriptum idemque nuptiis Viniae et Manlii dicatum esse vix quisquam contenderit. Sed hoc carmen non ad verarum nuptiarum usum compositum sed libere confictum est (cfr. Baehrensum), ut O. Ribbeckins<sup>1)</sup> eleganter indicavit, „eine rein griechische Studie, vorzugsweise nach einem Original der Sappho“. Illud autem „vorzugsweise“ cum Fuerstio non ita intellegi velim, ut Catullum praeter Sappho aliquem alium poëtam Graecum (cfr. Baehrensum) secutum esse iudicetur, sed ut in exemplaris sui imitatione ita versatus sit, ut suas vires in adornando argumento et sermone figurando ex Sappho desumptis exercere voluerit. Primum enim animum inducere minime possum, ut Catullum „apis more modoque grata carpentis thyma“ tamquam per laetos Graeciae hortos passim vagantem e floribus hinc illincque decerpitis tale carmen tanta claritate, tam decenti simplicitate, tam singulari venustate collegisse credam. Deinde cavendum est ne putemus omnia, quae sive apud Theocritum (cfr. Ellism) sive apud Alexandrinos (cfr. Leutschium, Boninum, alios) in simili aliquo argumento versantur, Catullum quamvis in lectione Graecorum frequentem, cum hoc epithalamium fingeret, ante oculos habuisse atque imitatum esse. Mea quidem sententia Sapphus solius vestigiis ingressus est, atque externam formam et compositionem ab hac eum repetivisse cum omnibus hominibus doctis consentio; id quoque propter concinnitatem concedo hoc carmen ex uno aliquo Sapphus exemplari fluxisse, non e pluribus conflatum esse; nec vero Catullum ita Sappho poëtriae adstipulatum esse, ut tamquam „fidus interpres“ exemplar suum ad verbum e Graeco expresserit, id quod Weberus vult, ulla re evinci potest. Nam argumentorum rerumque tractatarum similitudines haud paucae per se quidem solae nullius sunt momenti, sed cum reliquis originis indicis coniunctae aliquid valent, nec, cum non numero sed vi et pondere suo indicari debeant, externae appellandae sunt, ut Baehrenso placuit, quales idem argumentum ulro procreat. Sed his ex rebus ita colligere non licet Catullum hoc carmen amoebaeum de Sapphus epithalamio quodam fere ad verbum transtulisse, id quod Hartungius, Koechlius, Teuffelius (hist. litt. Rom. I p. 446), alii censuerunt, ut cum Hauptio (opusc. I 20), Leutschio, Boninio, Fuerstio, Schmidio, aliis statuendum sit, rem ita a Catullo institutam esse, ut modo religiosius Graecum exemplar exprimeret, modo suo magis consilio uteretur, ut hoc carmen populares facilius intellegarent.

<sup>1)</sup> I. l. p. 327.

## Index

librorum, qui mihi praeter ceteros magno fuerunt usui:

- Naeke, A. F., opusc. philol. (ed. Welcker, Bonae 1842) I.  
 Haupt, M., quaest. Catull. Lips. 1837 (in: opusc. I p. 1 sq.).  
     idem, Catulli Tibulli Propertii carmina, edit. V ab I. Vahleno curata, Lips. 1885.  
 Hermann, G., censura quaest. Cat. M. Hauptii, in: nov. ann. philol. et paed. XXII (a. 1838)  
     p. 303 sq.  
     idem, opusc. vol. VI p. 100 sq.  
 Froehlich, I. v. G., M. Hauptii quaest. Catull., in: Gelehrte Anzeigen (1840) XI fasc. 136 et 137.  
     idem, Q. Val. Catulli Veron. lib., in: Abh. d. k. bayr. Akad. d. Wiss. philos.-philol. Cl. V 3  
     (1849) p. 235 sq.  
 Hartung, I. A., Hymenaeus, in: Philolog. III (1848) p. 238 sq.  
 Leutsch, E. v., censura, in: Goetting. gel. Anz. 1855 III 1991 sq.  
 Pleitner, C., Catulls Hochzeitsges. Dillingen 1858. Progr.  
     idem, Studien z. Catull, ibid. 1876.  
 Koechly, H., akad. Vortr. u. Redeu III, Turin. 1859.  
 Boehme, P., quaest. Catull. diss. inaug. Bonnae 1862.  
 Riese, A., üb. Cat. 62. Ged., in: nov. ann. phil. 91 (1865) 300 sq.  
     idem, die Ged. des Catullus. edit. 1884 Lips.  
 Franke, O., de artific. car. Cat. compos. diss. Gryph. 1866.  
 Peiper, R., Q. Valerius Catullus, Vratislaviae 1875.  
 Suess, I., Catulliana, in: Act. semin. philol. Erlang. I (1878) 1 sq.  
 Ziwsa, C., d. Interkalar b. Cat., in: Wien. Stud. IV (1882) p. 271 sq. —  
 Schulze, C. P., de Cat. Graecor. imitatore, Jenae 1871, diss.  
 Weidenbach, P., de Cat. Callimachi imit., Lips. 1873, diss.  
 Henkel, W., de Cat. Alexandrin. imit., Jenae 1883, Progr. —  
 Bonin, A., Unters. ü. d. 62. Ged. von Catull, Bromberg 1885, Progr.  
 Fuerst, P. A., de Catulli c. 62, Melk 1887, Progr.  
 Hermes, F., neue Beitr. z. Kritik d. Cat., Frankf. a./O. 1889, Progr.  
 Meyer, W., zu Cat. Ged., in: Sitzgsbr. d. bayr. Ak. d. W. 1889, II 2 p. 254 sq.  
 Weber, H., quaestiones Catullianae, Gothae 1890.  
 Ballin, F., das amöbäische Hochzeitslied des Catull, Dessau 1894, Progr. —

Editiones etc. (de Hauptio et Riesio v. supra):

- Doering, F. W., Lips. 1788—92.  
 Sillig, I., Gotting. 1823.  
 Lachmann, C., Berol. 1829 et <sup>2</sup>1874.  
 Schwabe, L., Giss. 1866 et Berol. 1886.  
 Rossbach, A., Lips. 1854 (idem, Griech. Metrik III p. 27 sq.)  
 Ellis, R., Oxon. <sup>2</sup>1878 et a comment. on Catull, Oxon. 1876.

- Baehrens, E., Lips. 1876—85, I et II; voluminis I nova editio a K. P. Schulze curata a. 1893.  
Müller, Luc., Lips. 1880.  
Schmidt, B., Lips. 1887 ed. mai.  
Jacoby, C., Antholog., Lips. 1882.  
Heyse, Th., Catulls Buch d. Lieder, Berol. 1889 (cur. A. Herzog). —  
Bergk, Th., poet. lyr. Graeci III.  
Antholog. Palat. ed. Dübner. —  
Hermann, K. F., griech. Privataltertümer 1882 (ed. Blümner).  
Rossbach, A., Unters. ü. d. röm. Ehe, Stuttg. 1853.  
Marquardt, L., röm. Privataltertümer (1864) I.  
Rein, W., d. röm. Privatrecht, Lpzg. 1836.  
Hehn, V., Kulturpflanzen u. Haustiere 1888.

Si quas praeterea hominum doctorum commentationes aut interpretationes nonnumquam inspexi  
et ad usum meum adhibui, eas suo quamque loco commemoravi.

(Reliqua, quae de eo carmine dicenda sunt, postero anno sequentur.)